

ros et brachia⁴ miserae matris lacerare et deglubere sunt ausi, profligarunt salutare doctores nostrarum ecclesiarum, qui vere erant humeri et brachia piorum coetuum, qui sustinebant onera in docendo et gubernando, qui stabant in acie, praeliabantur pro ecclesia contra hostes veritatis, pios dulci nec-tare coelestis veritatis pascebant atque, quod in primis vtile est, tanquam ful- 5
cra communem consensum cum quadam autoritate tuebantur. Hos igitur, cum in suspicionem et contemptum apud plerosque falsis criminationibus adduxissent, loco et autoritate sua deiecissent, secutae sunt istae quasi infi- nitae distractiones et inuectus prorsus talis status, qualis, vt est in tragoedia, est apud Cyclopes vbi οὐδεὶς οὐδὲν οὐδενὸς ἀκούει.⁵ Sublatis baiulis et ful- 10
cris nostrum aedificium cepit fatiscere, minatur ruinam, desimus esse formi- dini hostibus. Sicut et Graecia tantisper teste Thucydide fuit victrix, donec principes [5:] coniunctis viribus contra communem hostem praeliabantur.⁶ Interea in hac anarchia scelerata est petulantia fingendi dogmata, opiniones et damnandi plane sacerdotali et pontificia cum tyrannide ecclesias optime 15
constitutas et multa agmina piorum, quicunque non recentibus et paucis ali- quibus legumlatoribus assentiuntur. In ista tamen δοξομανία praecipua vul- nera hoc tempore ecclesiae inferre videntur illi, qui de sacra coena conflictus atrocissime exorsi sunt. Nam illam de linea veste μνομαχίαν quasi nox dire- mit et propter eam in optimos nostros praeceptores fatua et bruta emissa ful- 20
mina ferme coeperunt languescere et euanescere. Bellum vero hoc, quo sae- uius, ita etiam multis nominibus magis deplorandum est.

„Desiderio desideravi manducare vobiscum hoc pascha“,⁷ inquit Filius Dei aditurus suum agonem. Ita singulos piorum decebat cum suavi desiderio et reuerentia appetere et amare hunc dulcem et sanctum conuictum, in quo 25
Filius Dei praesens est et suos conuictores pascit nutrimento coelesti et in- corruptibili, rigat eos liquore recreante ariditatem et imbecillitatem miserae huius naturae, testatur se deinceps in suis velle esse efficacem, eos vita per- petua et beata viuificare et eos gestare, perinde sicut sua natura humana sus- tentatur et inenarrabili gloria a diuina inhabitante perfunditur. De his tantis 30
beneficiis decebat ciues verae ecclesiae cogitare, quoties de hac sacra σπονδῆ sermonem instituunt et ita sese comparare, ne indigni hoc tam augus- to conuictu esse videantur. Etiam antiquitas ethnica iussit τὴν ἄλλα καὶ τράπε- ζαν μὴ παραβαίνειν.⁸ Et nota sunt dicta εὐφημία παρὰ σπονδαῖς κάλλιστον,

⁴ Vgl. Jes 9,20.

⁵ Anspielung auf Homer, Odyssee IX, 364–412, in: van Thiel, Odyssee, 122f, wo Odysseus sich als „Niemand“ vorstellt, bevor er den Zyklopen Polyphem blendet.

⁶ Vgl. Thucydides, Historiae II, 8,1–3, in: Thucydides, Historiae. Bd. 1, hg. v. Henry Stuart Jones, Oxford 1900 (SCBO, ND: 1955), ohne Seitenzählung.

⁷ Lk 22,15.

⁸ Griechisches Sprichwort, überliefert durch Zenobius, Epitome 62, in: Corpus paroemiographorum Graecorum. Bd. 1, hg. v. Ernst Ludwig von Leutsch/Friedrich Wilhelm Schneidewin, Göttingen 1839 (ND: Hildesheim 1958), 24,4.